AUGUSTINUS
Italien, Wende 11./12. Jh. Seite 200v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Similiter nouit et filius
omia. In se scilicet tamquam
ea que nata sunt. de his
que pater nouit in seipsum.
in patre autem tamquam ea
~~que nata sunt. de his que~~
~~pater nouit in seipsum. in patre~~
~~autem tamquam ea~~ de quibus
nata sunt. que ipse filius
nouit in seipso. Sciunt ergo
inuicem pater. et filius.
Sed ille gignendo. ille
nascendo. Et omnia que
sunt in eorum scientia.
in eorum sapientia. in eorum
essentia. unusquisque eorum
simul uidet. Non parti
culatim. aut sigillatim.
uel ut alternante con
spectu. hinc illuc. et inde
huc. et rursus inde. uel
inde. in aliud. atque uel
aliud. Ut aliqua uidere
non possit. nisi non uidens
alia. Sed ut decet. simul
omnia uident. quorum
nullum est quod non semper
uident. Verbum autem
nostrum illud quod non habet
sonum. neque cogitationem
soni. sed eius rei quam ui
dendo intus dicimus. et ideo

nullius lingue est. atque inde
ut cumque simile est in hoc
enigmate uerbo dei quod deus est.
Quoniam et hoc de nostra nascitur.
quemadmodum et illud de
scientia patris natum est.
Nostrum ergo tale uerbum quod
inuenimus est. ut cumque
illi simile. quantum sit etiam
dissimile. sicut a nobis
dici potuerit. non pigeat in
tueri. Quam dissimile sit
uerbum nostrum mutabile a uerbo
dei incommutabili et eterno.

Numquid uerbum nostrum de
sola scientia nostra nascitur.
Non ne multa dicimus etiam
que nescimus. Nec dubitantes
ea dicimus. sed uera esse ar
bitrantes. Que si forte uera
sunt in ipsis rebus de quibus
loquimur. non in uerbo
nostro uera sunt. Quia uerbum
uerum non est. nisi quod
de re que scitur gignitur.
Falsum est ergo isto modo
uerbum nostrum. non cum men
timur. sed cum fallimur. Cum
autem dubitamus. non dum est
uerbum uerum. de re qua
dubitamur. Sed de ipsa
dubitatione uerbum est.